

1785,23.
5

PROCANCELLARIUS
IOSIAS LUDOVICVS ERNESTVS
PUTTMANNVS

I. V. D. INST. PROFESSOR ORDINAR. ET COLLEG. ICTOR. ASSESSOR

P. 432
SOLLEMNIA IN AVGVRALIA

GENEROSSISSI CANDIDATI

CAROLI HENRICI A ROEMER
LICHENSTEINENSIS

A. D. XIV. APRILIS MDCCCLXXXV

PUBLICE CELEBRANDA
INDICIT



PROGNOSELLARIA
IORSIS HEDOVIENSIS ERINTEIAS
SALITRATINAS

LUDWIGIANA THERAPEUTICARIA SCANDICARIA COTTICA ETIOPIA PERSIANA

SOLIMINI NAVAGRATA
GENITRORASSIMI CANDIDATI
SALITRATINAS HEDOVIENSIS ERINTEIAS
LUDWIGIANA THERAPEUTICARIA

A.D. MDCCCLXVII. V. M. A. A.

LABRICE CERTIFICANDA
INDICIT



PROBLEMA
IVRIS CRIMINALIS

*An et quatenus iussio eum, qui paret, a poena
excusat eamue miniat?*

Antiquissimum hic hominum mos est, ut, si qua in re
lapsi sint, aut si quid peccarint, culpam aut fortunae,
aut aliis tribuere studeant. Verissime AVSONIUS in
Cupid. cruci adf. v. 63.

— *Se quisque absoluere gestit,
Transferat ut proprias aliena in criminā culpas* ^{a)}.

ADAMVS, cum ex eo quaereretur: *Numnam de
arbore, de qua tibi praeceperam, ne comederes, co-
medisti?* respondebat: *Quam tu mihi mulierem attri-
buisti, ea mihi de arbore dedit, et ego comedī, itemque
EVA, cur hoc fecerit, rogata, a serpente, inquietabat,
decepta comedī.* ORESTES apud EVRIPIDEM iu

a 2

Orest.

^{a)} Sic etiam mortuis causam peccati facilissime delegari, ait CAESAR
ap. HIRTIVM de B. G. VIII, 22.

Orest. act. I. v. 285. matre, patris vlciscendi causa, occisa culpam omnem in APOLLINEM reiicit,

— Δοξία δὲ μέμφομαι,
Ὄσις μὲν ἐπάργεις ἔργον ἐσ αὐτοιώτατον
Τοῖς μὲν λόγοις πυρεόπε, τοῖς δὲ ἔργοισιν οὐ.

— Accuso autem Apollinem,
Qui me incitans ad facinus impiissimum
Verbis quidem consolatus est, non autem re.

Similiter Sostratus, latro, apud LVCIANVM in Dialog. mortuor. no. 30. cum MINOE colloquens, quidquid deliquerat, Parcae, CLOTHO dictae, imputat, ita tandem finiens: Nón tu iam vides, quam iniusta facias, qui nos ad supplicium condemnes ministros eorum, quae Clotho imperabat? Illud enim uero dicere quis nequeat, resisti potuisse rebus, quae cum summa necessitate imperabantur; respondentē MINOE: Multa videas alia non ex ratione fieri, si rem accurate explores. Verum tu quidem eum propositae quaestione fructum feres, ut non latro solum, sed et Sophista videare. Solue illum, Mercuri, poenaque liber esto. At caue, ne alios quoque mortuos similes interrogatiunculas proponere doceas. Quid quaeso frequentius apud veteres, quam dulcia illa furtar amores furtiuos CVPIDINI acceptos ferri? quod merito idem perstringit LUCIANVS Epigr. 6. T. III. p. 676. edit. Amstel. 1743.

Οὐχ ὁ ἔρως αἰδητής μερόπων γένος, ἀλλ' αἰσθατός
Ψυχῆς ἀνθρώπων ἔσθ' ὁ ἔρως περφασις.

Non

Non Veneris puer est, laedit qui corda, sed illum

Praescribit vitiis mens male sana suis,

et nonne ipse **CICERO** belli illius ciuilis, reip. Rom. tam
funesti, Deos facit auctores in *Or. pro Marcell. cap. 6.*
Vt mihi quidem, inquiens, videantur Dii immortales,
etiam si poenas a Populo Romano ob aliquod delictum
expetierunt, qui ciuale bellum tantum et tam luſtu-
sum excitauerunt, vel placati iam, vel etiam satiati
aliquando omnem spem salutis ad clementiam viitoris et
sapientiam contulisse.

Eadem fabula etiamnum passim in his terris luditur,
adeo ut haud raro facinorosi, flagitiorum suorum tegu-
mentum quaerentes, omnem culpam malo daemoni im-
putent, et, cur ad tam atrox facinus prolapsi fuerint,
quaesiti, diabolum hoc sibi inieciſſe in animum, dicant.
Hoc scilicet *praetexunt nomine culpam*, parum gnari,
intus se habere, quo ad flagitia sceleraque incitentur,
malum scilicet animum, prauos affectus, fruſtraque adeo
fabam hic in malo daemone eudi.

Sunt etiam, qui delicta sua ebrietate excusare insti-
tuant, aut amicitiae causa se peccasse dicant, parum me-
mores eius, quod **DIONYS. CATO** *dist. II. 21.* eleganter
his expressit verbis:

Quae potus peccas, ignoscere tu tibi noti,

Nam crimen nullum vini est, sed culpa bibentis,



quodque iam CIC. de amicit. cap. 11. dixit: *Nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaueris.* Nihil iam dico de mandato, consilio, instigatione, similibusque criminum seu causis, seu occasionibus ^{b)}, quippe qui in praesenti solo de iussu verba facere constitui, et quatenus is parentem a poena excusat eamue minuat, ostendere conabor.

Sunt sane multi, qui omnes vel leuissimas excusationes admittant, et quamlibet, etiam fatuam, causam a dolo excusare, seu sibi, seu aliis persuadeant, tantum ut mansueti videantur, humanitatisque et misericordiae laudem participant, haud cogitantes, sceleribus criminibusque indulgere non mansuetudinem, sed crudelitatem potius esse. Graphice CICERO Catil. IV. 6. *Ita mihi salua rep. vobiscum perfrii liceat, ut ego, quod in hac causa vehementior sum, non atrocitate animi, moreor, sed singulari quadam humanitate et misericordia.* Etenim quaero, si quis paterfamilias, liberis suis a seruo interfecisset, vxore occisa, incensa domo, supplicium de seruis non quam acerbissimum sumserit, utrum is clemens ac misericors, an inhumanissimus et crude-

lissimus

b) De crimine conniuentiae an. 1781. sing. diff. de mandato criminis autem in progr. de execu^tio eius, cui aut verberatio aut vulneratio alicuius mandata est, mandanti haud imputando, an. 1777. exposuimus. De poena instigationis exstat diff. C. L. CRELLII, inter diff. eius iunctim editas no. 104.

*tissimus esse videatur? Mihi vero importunus ac ferreus,
qui non dolore ac cruciatu nocentis suum dolorem cru-
ciatumque lenierit. Sic nos in his hominibus, qui nos,
qui coniuges, qui liberos nostros trucidare voluerunt,
qui singulas vniuscuiusque nostrum domos et hoc vniuer-
sum reip. domicilium delere conati sunt, si vehementissi-
mi fuerimus, misericordes habebimur: si remissiores
esse voluerimus, summae nobis crudelitatis in patriae
ciuumque pernicie fama subeunda est.* Et nonne iam
SOLON dixit, in ea ciuitate optime viui, in qua boni
honore, et contra mali suppliciis afficiantur? Haud mi-
nus placet, quod aiunt **IMPP.** in *I. i. C. ad Leg. Iul. re-*
petund. Vnius poena, metus multorum. Est sane quae-
dam etiam crudelis indulgentia, quam in **CLAUDIO**
Imp. merito notat **AVSONIUS** in *Caesar.* no. 5.

Non faciendo nocens, sed patiendo fui.
Longissime quidem absumus a more illorum, qui feueri-
tatem adfectantes semper in ore habent vetus illud: *I hi-
ator, alliga ad palum!* propriaeque suae duritiei legum
praetexunt feueritatem ^{c)}; quippe qui memoria teneo
illud **SENECAE** in *Agam.* v. 985.

*Rudis est tyrannus, morte qui poenam exigit,
itemque illud alterius **SENECAE** de *Clem.* I. 17. Mor-
bis medemur, nec irascimur. Atqui et morbus animi
mollem*

^{c)} Eleganter auctor dramatis, **CORA** inscripti, II. 6.

Der eigne Grausamkeit mit dem Gesetz verlarvet.

mollem medicinam desiderat, ipsumque medentem minime infestum aegro. Mali medici est, desperare, ne curet. Idem in his, quorum animus affectus est, facere debet, cui credita salus omnium est, non cito spem proiicere, nec mortifera signa pronunciare. — Nulli regi gloria est ex saeva anintaduersione. Quis enim dubitat, posse? At contra maxima, si vim suam continet, si multos irae alienae eripuit, neminem suae impendit. Sed altera ex parte etiam persuasissimi sumus, nihil magis reip. nocere, quam misericordiam illam intempestivam molitiemque, qua nonnulli sibi tantopore placent, haud aliam ob causam, quam quia populares haberi volunt, vulgoque placere cupiunt. Verissimum verbum est TERENTII *Heaut.* III. 1. *Deteriores omnes sumus licentia,* nec non alterum illud, nescio cuius: *O miserum, cui peccare licet!* Nec minus sapienter CIC. *Philipp.* VIII. 5. *In corpore si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, vri secarique patimur, vt membrorum aliquod potius, quam totum corpus intereat:* sic in reipublicae corpore, *vt totum saluum sit, quidquid est pestiferum, amputetur.* Dura vox! Multo illa durior: *Salui sunt improbi, scelerati, impii: deleantur innocentes, honesti, boni, tota respublica.* Teneamus igitur hic quoque auream illam inter animum nimis feuerum nimisque remissum mediocritatem, memor res moniti Horatiani:

Virtus

Virtus est medium vitiorum et utrinque reducitur.

Sed haec obiter; ad rem ipsam igitur redeamus. Iussum nihil aliud esse, ac praeceptum superioris, obligans eos, qui illius potestati obnoxii sunt, tam notum est, ut moneri vix mereatur. Quemadmodum scilicet mandata consiliaque damus amicis aliisque, nobis haud subiectis, ita contra iussu non nisi eos, qui potestati nostrae subfunt, adeoque parere necesse habent, obligare possumus. Hinc autem sequitur, ut nemo alterius, qui iubendi seu imperandi ius non habet, praeceptis obsecundare teneatur, neque id vere dici iussum possit, quod ab eo proficitur, cui parere nihil necesse est. Quod si accuratius secum perpendissent nonnulli iuris criminalis interpretes, nae rarius exceptionem iussionis parendique necessitatis, quam rei criminibus suis passim praetexere solent, admisissent.

Scilicet, ut huic exceptioni locus sit, quatuor maxime requiruntur momenta, 1) ut non modo verum sit iussum, sed ut idem etiam factum, de quo quaeritur, praeceperit, adeo, ut haud sufficient preces, persuasio, laudatio, ratihabitio, 2) ut alter ius imperandi habeat, 3) ut alteri parere necesse sit, 4) ut nihil praecipiat, quod aut iniustum, aut dishonestum bonisue moribus contrarium sit, nisi tamen hoc casu alteri sola parendi necessitas, nullaque obsequium detrectandi facultas supersit.

b

Atque



Atque hoc non modo sana docet ratio, sed multorum etiam qua Ictorum, qua Philosophorum suffragii firmatur. *Liber homo*, inquit **I A V O L E N V S** in l. 37. pr. D. ad L. Aquil. si iussu alterius manu iniuriam dedit, actio legis Aquiliae cum eo est, qui iussit, si modo ius imperandi habuit: quod si non habuit, cum eo agendum est, qui fecit, nec non **V L P I A N V S** in l. 169. D. de R. I. Is damnum dat, qui iubet dare: eius vero nulla culpa est, cui parere necesse sit. Eodem facit aureum illud **P A P I N I A N I** praeceptum in l. 15. D. de cond. inst. Quae facta laedunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram; et, ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, itemque illud **I V V E N A L I S** VIII. 8r.

— Phalaris licet imperet, et sis
Falsus, et admoto dicet periuria tauro,
Summum crede nefas, animam praeserre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere causas.

Quid? quod veteres ne deorum quidem suorum improbis iussis impune pareri crederent, quo pertinet pulcher locus **C I C**. pro Rosc. Amer. cap. 24. *Videtisne, quos nobis poetae tradiderunt, patris vlciscendi causa supplicium de matre sumisse, (cum praesertim deorum immortalium iussis atque oraculis id fecisse dicantur,) tamen et eos agitent furiae, neque consistere usquam patian-*

patiantur? quod ne pii quidem (obsequium scilicet praestando) sine scelere esse potuerunt.

Iam, quod ad id, quod primo loco posuimus, attinet, haud quidem me fugit, quod P. SYRVS ait:

Rogando cogit, qui rogat potentior,

et TACITVS Hist. IV. 46. *Preces erant, sed quibus contradici non posset.* Enim uero hic certe, nisi leges manifesto eludere falsasque excusationes admittere velimus, eiusmodi preces ad poenam tollendam aut minuendam sufficere haud possunt.

Nec hoc trahendum, quod in I. I. §. 3. D. de seru. corr. legitur: *Per suadere est plus, quam compelli atque cogi, sibi parere* ^{d)}. Pertinet enim hoc ad edictum praetoris de seruo, quod ad animum, corrupto, nihilque aliud dicere his verbis voluit VLPIANVS, nisi hoc: eum, qui serui animum corrumpt, eique, ut crima committat, persuadet, plus serui domino nocere, quam si illum ad crimen aliquod perpetrandum cogeret, quippe quo serui animus haud corruptitur; minusque adeo recte L. B. DE CRAMER in Spec. I. de usu philosophiae WOLFIANAE in iure, de poena filiae minorenis a matre

b 2

ad

d) De coactione iam non loquimur. Si quis enim vere coactus quid fecit, tunc utique locum habet, quod SENECA Troad. v. 863. ait:

Ad autores reddit sceleris coacti culpa.



ad infanticidium deductae, contendit, actionem, ad quam quis alterius persuasione fuerit impulsus, non pro libera, sed coacta habendam, ideoque persuasio haud imputandam esse, quod iam resellit IO. GVL. MARCKART *Int. rec. I. C. lect. Lib. I. cap. 1.*

Nec me mouet, quod CICERO scribit *Philipp. II. c. 12.* *Quid enim interest inter suasorem facti et probatorem? aut quid refert, utrum voluerim fieri, an gaudemam factum?* Quis enim non intelligit, oratore magis, quam vere hoc a CIC. dictum, eoque tantum animo, ut causae seruiret suae, prolatum esse? Bene quidem VLP. in *I. i. §. 4. D. de seru. corr.* *Non oportet laudando angeri malitiam.* Inde vero non sequitur, ut laudes in facinorosum ab aliquo collatae illum a poena liberare debeant.

Quod denique ad ratihabitionem attinet, ea quidem in actionibus civilibus quodammodo mandato solet comparari, *I. i. §. 14. D. de vi et vi arm. I. vlt. C. ad Sct. Maced.* Nae autem frustra est, quisquis hoc ad causas criminum, in quibus de poena quaeritur, proferendum putat. Sana profecto docet ratio, multum interesse, ius sus quis, an sponte ^{c)} nulloque iubente aut imperante, deli-

^{c)} Hoc CIC. pro *Rof. Amer.* *cap. 36.* dicit *a se facere.* Similis locutio est ap. S. IOANNEM XVIII. 34. Vid. IAC. FACIOLATI *Exercit. in Cic. Or.* p. 136.

delictum, quod postea demum ab aliquo ratum habetur, aut adprobatur, admiserit.

Quodsi iam de personis, quae iure imperandi iubendi
due gaudent, itemque de illis, quibus altera ex parte pa-
rendi necessitas imposita est, quaeramus, inter illas p-
rincipue memorandi sunt Principes, magistratus, militum
duces, mariti, parentes, domini; inter has autem subditi,
milites, vxores, liberi, serui.

Principi magistratibusque superioribus in rebus honestis et ad reip. utilitatem tendentibus necessario parentum esse, non modo sana ratione, sed legibus etiam, quae diuinis, qua ciuilibus, edocemur. Nisi enim Princeps, quiq[ue] vicem eius gerunt, magistratus iubendi imperandique potestatem, subditi contra obsequium praestare necesse haberent, nexus ille ciuilis, in quem cuiusque reip. ordines coaluerunt, breui dissolueretur. Haec ipsa tamen parenti necessitas merito ad res licitas et honestas, quae imperari subditis possunt, restringenda est. Quod si igitur quidquam, quod iustitiae aut honestatis regulis manifesto repugnet, imperaretur, subditi haud iniuria vetus illud praeceptum: *Parendum Deo magis est, quam hominibus* [¶], repeterent. Diximus manifesto, propterea quod subditis regulariter super consiliis factisque Principis iudi-

b 3 care

¹⁾ Quod legitur in *Act. Apost. V. 29.* Πειθαρχῶν δὲ Θεῷ μᾶλλον, ἢ αὐτούς. *Conf. ibid. IV. 19.*



care haud fas est. Fac igitur, hunc bellum moliri aut suscipere, de cuius iustitia subditis haud constat, nihilo tamen minus hi obsequium detrectare haud poterunt, cum Princeps causam belli iustum, et si vulgo haud cognitam, habere possit, immo habere presumatur. Aliud autem de vasallis, haud simul subditis, dicendum videtur, ut pote qui, domino directo bellum iniustum gerente, servitiae haud iniuria denegabunt, exceptis iis, quae ad defendendum dominum necessaria sunt, qua de re alibi (*in Elem. iur. feud. §. 429.*) diximus.

An autem, Principe subditis singulis quidquam, quod manifesto iniustum aut turpe sit, imperante, hi obsequium detrectare debeant, maxime si Princeps addat minas mortis, aut vinculorum, aut amissionis bonorum, haec sane difficilis et ardua quaestio est. Sumamus quoae exemplum PAPINIANI, illius inter veteres iuris interpretes coryphaei, cuius nomen nulla vñquam temporum iniuria, vetustas nulla obliterabit. Huic quidem a CARACALLA Imp. postquam hic fratrem suum GETAM iniuste occidi iusserrat, ut caedem istam defenderet, eiusque inuidiam ab auctore amoliretur, imperabatur. Quid hic PAPINIANVS? Is quidem non modo fortiter renuit, sed insuper etiam dixit: *Non tam facile parricidium excusari posse, quam fieri.* Et qui quoae huius rei exitus fuit? PAPINIANVS in conspectu CARACALLAE securi percussus, a militibusque occisus, percussor autem ab IMP. his

his verbis: *Gladio te exequi oportuit iussum meum, obiurgatus est, vt refert SPARTIANVS in CARACALL.*
cap. 4. et 8. En factum Icti grande et admirandum, omniumque temporum memoria dignissimum ^{g)} *! Hic scilicet ille*

— *cuius erat, qui libera posset*

Verba animi proferre, et vitam impendere vero.

Hic erat ille vir, in quem vere conuenit illud **HORA-**

TII Carm. III. 3.

*Iustum et tenacem propositi virum
 Non ciuium ardor prava iubentum,
 Non vultus instantis tyrami,
 Mente quatit solida: neque Auster,
 Dux inquieti turbidas Adiae,
 Nec fulminantis magna Iouis manus.
 Si fractus illabatur orbis
 Inpauidum ferient ruinae.*

Aliter quidem hac de re iudicauit **IO. BODINVS de Rep. III. 4. Praefat**, inquiens, quandoque aliquid indulgere,

g) Illustre hoc exemplum in scenam, ad popularem admirationem, vernacularum tragoediarum quarta, quae inscribitur *Papinianus*, se adduxisse scribit **IAN. VINC. GRAVINA Orig. Iur. Ciu. p. 77.** edit. **MASCOVII**, qui monet, illam tragoediam cum quatuor aliis, ab auctore in latinum sermonem versis, apud eius heredem, **PETRVM METASTASIVM**, custoditam fuisse. Quam quaefo diuersus a **PAPINIANO** fuit **SENECA**, quippe quem **AGRIPPINAE**, **NERONIS** matris, caadem excusasse, rerum gestarum monumenta testantur. Conf. **EV. OTTONIS Papinianus p. 625. sq.** En **Ictum!** — En **Philosophum!**

dulgere, quam reip. vulnera, a principibus illata,
exacerbare, ut Papianum fecisse legimus. — Fortiter
ille quidem magis, quam sapienter! rel. Sed recte
sinistrum hocce iudicium resellit E. OTTO in *Papinian.*
cap. 16. ad quem illos, quibus plura ea de re legere vo-
lupet est, alegamus.

Nec desunt alia magnorum virorum, qui maximis
carere commodis, quam quidquam contra animi sui sen-
tentiam facere maluerunt, exempla, quo quidem praeter
alios pertinere nonnullis videtur HENR. DODWELLVS,
qui iusurandum, quod vocant, suprematus praestare
renuens munere professorio priuatus, eaque re, quomini-
nus Praelectiones Camdenianas, *Oxonii 1692.* editas,
continuaret, impeditus esse fertur ^{h)}. Nequaquam au-
tem mihi illud placet effugium; quo usus est Comes
FAIRFAX, qui, cum vrgeretur, ut sententiae de capite
CAROLI I. Angliae Regis ferendae subscriberet, ita
posuit: *Cum omnes consentiunt, ego non dissentio,* ad-
dito post *tō* non puncto admodum exiguo ⁱ⁾. Quid enim
quaeso est verbis ludere, si hoc non est? An haec magno
conue-

h) Vid. *The Life of Mr. Henry Dodwell*, by Francis Brokesby, Lon-
don 1715. Vol. I. p. 221.

i) Vid. *Histoire entière & véritable du procès de Charles Stuart, Roi d'Angleterre*, à Londres 1650.

conuenient animo, cui dulce et decorum est pro patria bonaue pro causa mori, alii viderint. Nae

*Virtus, repulsa nescia folidae,
Intaminatis fulget honoribus,
Nec sumit aut ponit securis
Arbitrio popularis aurae.*

Ceterum cum Principes etiam sint homines, fierique facile possit, ut quis iratus aliquid faciat, quod, postquam ira deferuit, factum nolle, vere imperatoria vox est THEODOSII M. in l. 20. C. de poen. Si vindicare in aliquos severius contra nostram consuetudinem, pro cause intuitu, iusserimus, nolumus statim eos aut subire poenam, aut excipere sententiam, sed per dies triginta super statu eorum fors et fortuna suspensa sit: reos sane excipiat vinciatque custodia, et excubii sollertibus vigilanter obseruet, de qua diximus Probabil. L. 1. cap. 18. quamque anno 1572. occasione tristis illius lanienae Parisiensis^{k)} felicissime in usum deduxit CVIACIVS, ut iam alibi (in Elem. iur. crim. §. 987.) monuimus.

Plus ciuibus licet, quod ad decreta iussaque magistratum inferiorum attinet. Quamquam enim his quoque, quatenus legibus patriis iurique recepto congruunt,

obse-

^{k)} Hanc ipsam tamen defendere, et CAROLVM IX. Galliarum Regem, Davidi de Goliatho triumphanti aequiparatum, summis ideo in coelum laudibus efferre haud dubitauit M. A. MVR ET VS Or. Romae ad GREGOR. XIII. habita, quae inter eius Orat. Vol. I. no. 22. legitur.



obsequium praestari oportet, impune tamen magistratui a iustitiae tramite deflectenti litemque suam facienti haud paretur. Quid? quod iudici adeo fines officii sui excedenti quodammodo resistere fas est, quo facit, quod Impp. DIOCLET. ET MAXIM. aiunt in l. 5. C. de iur. fisc. Prohibitum est, cuiuscunque bona, qui fisco locum fecisse existimabitur, capi, priusquam a nobis forma fuerit data. Et ut omni provisionis genere occursum sit Caesarianis, sancimus, licere uniuersis, quorum interest, obiicere manus his, qui ad capienda bona alicuius venerint, qui succubuerit legibus: ut etiam si officiales aut fuerint a tenore datae legis desistere, ipsis privatis resistentibus, a facienda iniuria arceantur. Loculare exemplum ex ATEI CAPITONIS Lib. IX. Coniectan. de iudiciis publicis refert Gellius IV. 14. Hostilius Mancinus, aedilis curulis, Mamiliae meretrici diem ad populum dixit, quod de tabulato eius noctu lapide ictus esset, vulnusque ex eo lapide ostendebat. Mamilia ad tribunos plebei prouocauit. Apud eos dixit, commessatorem Mancinum ad aedes suas venisse: eum sibi fas recipere non fuisse aede sua; sed cum vi irrumperet, lapidibus depulsum. Tribuni decreuerunt, aedilem ex eo loco iure diectum, quo eum venire cum coronario non decuisset: propterea, ne cum populo aedilis ageret, intercesserunt.

Maximo

Maximo utique rigore obsequioque in re militari opus est, cum boni milites haud sint, qui, ut TACITVS Hist. II. 39. ait, iussa ducum interpretari, quam exequi malunt. Verissime OTHO apud eundem l. c. Lib. I. cap. 83. Non omnes nuntios palam audiri, omnia consilia cunctis praesentibus tractari, ratio rerum aut occasionum velocitas patitur; tam nescire quaedam milites, quam scire oportet. Ita se ducum auctoritas, sic rigor disciplinae habet, ut multa etiam centuriones tribunosque tantum iuberi expediat. Si, ubi iubentur, quererere singulis liceat, pereunte obsequio, etiam imperium intercidit; itemque D. MARCVS apud VVLCA. GALLIC. in vita Auid. Cassii cap. 5. Auidio Cassio legiones Syriacas dedi, diffluentes luxuria, et Daphnicis moribus agentes; quas totas excaldantes se reperisse Cae-sonius Vettianus scriptis. Et puto, me non errasse: siquidem et tu notum habeas Cassium, hominem Cassianae severitatis et disciplinae. Neque enim milites regi posseunt, nisi in vetere disciplina. Scis enim versum a bono poeta dictum et omnibus frequentatum: Moribus antiquis res stat Romana virisque. Facile tamen intellectu est, nullum duci praefectoque militum deberi obsequium, quando illi non Principis, sed suam rem agunt, quando moliuntur res nouas, ipsique caput extollere student¹².

c 2 quod

I) Idem dicendum de *officialibus*, quippe quos suis praefectis in rebus
quidem licitis morem gerere, simulacra autem illos fines officii sui
in

quod olim fecerunt triginta illi tyranni, de quibus **TRE-BELL. POLLIO** (inter script. hist. aug.) exposuit.

Super quaestione, an marito in vxorem imperium aliquod competit, non vna omnium sententia est ^{m)}. Mihi quidem ea de re nullum superest dubium, non modo ob verba **GENES. III. 16.** *Tu penderis a viro tuo, tibique ipse imperabis*, sed etiam ideo, quod fieri non potest, ut duobus vna in domo imperantibus salua sit concordia, domusque et familia perpetua felicitate fruantur. Verissime **HOMERV. IL. II. 204.**

*Οὐκ ἔγειρὸν παλυκοιρανή' εἰς νοίσαρος ἐσω,
Εἰς βασιλεὺς — —*

Quidquid igitur nonnulli dicant, recte omnino se habet illud **MARTIALIS VIII. 12.**

*Inferior matrona suo sit, Prince, marito:
Non aliter fuerint femina virque pares ⁿ⁾.*

Etsi autem maritus, tamquam caput familiae, quid in rebus domesticis fieri velit, iubere potest et imperare, nequaquam

in detrimentum principis aut reip. excedere, prauaque iubere intelligunt, ne alienorum criminum se participes faciant, obsequium detrectare oportet.

^{m)} Vid. **LEYSER. Spec. 666. I. A. HANNESENII Opus. p. 176.**
et commentat. bin. de imperio maritali, in **Cel. A. F. SCHOTTI I. W. B. P. I. p. 736. sq.**

ⁿ⁾ Pulchre **PLINIVS** in **Paneg. cap. 83.** de vxore **TRAIANI:**
Quam modica cultu? quam parca comitatu? quam civilis incessu?
Mariti hoc opus, qui ita imbut, ita instituit. Nam vxori sufficit obsequii gloria,

quaquam tamen hocce imperium eo extendendum est, vt vxor improbis quoque mariti iussis parere debeat. Nauiter etiam pleraeque hoc scitunt mulieres; cumque haud raro vel aequissimis maritorum iussis obsequium detrent, in rebus autem improbis parere eas plane haud oporteat, incassum imperium maritale parendique necessitatem delictis suis praetexent. Fac igitur, vxorem a marito iuberi, vt quid auertat, vt furetur, vt ignem aedibus subiiciat; nequaquam ideo delicti ab ipsa commissi poena minuetur. Quodsi autem maritus sit leno, vxorigue, vt adulteretur, iubeat, tunc poena adulterii ab vxore admissi vtique moderanda erit, non quidem ob iussum praecedens, sed quia maritus, vxorem alienae libidini praebens, non potest non adulterium, cuius ipse autor est, ei remissse censeri, adeoque remissio, quam lenocinium secum fert, leuiori poenae locum facit ^{o)}.

De obsequio parentibus a liberis praefmando cum satis iam exposuerint alii, cramben recoctam hic apponere nolumus. Hoc tamen silentio praeterire non possumus, illud obsequium eo haud proferendum esse, vt liberi parentibus etiam prava iubentibus obsecundare debeat. Bene PAVLVS ad Ephes. VI. 1. *Vos liberi, obedite parentibus vestris in DOMINO, itemque SE-*

^{o)} Atque hinc lenocinium mariti impedit etiam diuortium. Vid. DEYLINGII Inft. prud. past. p. 619.

NECA Controv. II. 9. *In omnia patri pareo, dum sit; etiam si in omnia, ibi non parentum, quo efficitur, ne pater sit.* Pulcher etiam ea de re locus est apud GEL-
LIV M II. 7. *Quaeri solitum est in philosophorum disce-
ptionibus, an semper inque omnibus iussis patri pa-
rendum sit.* Super ea re Graeci nostri que, qui de offi-
ciis scripserunt, tres sententias esse, quae spectandae
considerandaque sint, tradiderunt; easque subtilissime
dijudicauerunt. Earum una est, omnia, quae pater
imperat, parentum. Altera est, in quibusdam paren-
dum, quibusdam non obsequendum. Tertia est, nihil ne-
cessum esse patri obsequi et parere. Media sententia opti-
ma atque tutissima visa est, quaedam esse parentum,
quaedam non obsequendum. Omnia, quae in rebus huma-
nis sunt, sicut docti censuerunt, aut honesta sunt, aut tur-
pia. Quae sua vi recta aut honesta sunt, ut fidem colere,
ut patriam defendere, ut amicos diligere, ea fieri opor-
tet, siue imperet pater, siue non imperet. Sed quae his
contraria, quaeque turpia et omnino iniqua sunt, ea ne si
imperet quidem. Atque hinc scite admodum AGESI-
LAVS, ut PLVTARCHVS refert, iubente patre, ut
in iudicio quodam sententiam legibus ferret aduersam,
*A te, inquietabat, mi pater, inde a pueritia legibus pa-
rere edoclus sum; itaque etiam nunc tibi, nihil in leges
peccando, obtemperabo.* Hisce conuenienter liberos, si
pater prava iubeat, si ipsis ad crimina auctor sit, aures
obse-

obserare, obsequiumque detrectare oportet. Sin contra fecerint, parentum iussis frustra se excusabunt, pretiumque ferent flagitiorum suorum.

Neque huic contrarium est, quod ait Imp. ALEXANDER in l. 4. C. ad L. Iul. de adult. *Gracchus*, quem Numerius in adulterio noctu deprehensum interfecit, si eius conditionis fuit, ut per legem Iuliam impune occidi potuerit; quod legitime factum est, nullam poenam mereatur; idemque filiis eius, qui patri paruerunt, praestandum est. Sed si legis auctoritate cessante inconsulto dolore adulterum interemit, quamvis homicidium perpetratum sit, tamen quia et nox, et dolor iustus factum eius relevant, potest in exilium dari; propterea quod prioribus in verbis ante constituitur (vulgo praesupponitur), patrem iuste adulterum occidisse, adeoque filiorum auxilio in re licita usum esse.

Quae cum ita sint, equidem illis, qui poenam incestus in filia, quae patri sollicitanti, aut additis etiam minis urgenti, succubuit, moderandam censem, simpliciter adstipulari non possum, sed tunc demum in eorum sententiam concedo, cum filia aut stupida, aut minor adhuc annis fuerit, prauaque ab honestis, licita ab illicitis distinguere nondum didicerit, sive non cupiditate aut pravitate aliqua, sed opinione officii, et si stulta, tamen non improba, lapsa essa videatur.

Deni.

* * *

Denique nec desunt, qui propter imperium domesticum in famulis etiam mercenariis poenam interdum mitigandam censeant, ideoque ad l. 169. D. d.R. I. prouocent, vbi PAVLVVS: *Eius nulla culpa est, cui parere necesse sit.* Enimuero 1) haec verba ad delicta publica haud pertinent, ceu patet ex l. 157. D. eod. *Ad ea, quae NON* habent atrocitatem facinoris vel sceleris, ignoscitur seruis, si vel dominis, vel his, qui vice dominorum sunt, veluti tutoribus et curatoribus, obtemperauerint. (Vid. RAEVAR-DI Oper. p. 385.) 2) magnum vtique est, quod seruos Romanorum famulosque nostros mercenarios intercedit, discrimen. Bene CALLISTRATVS in l. 15. §. 3. D. de Leg. Corn. de fals. Videri ipsius domini manu scripta, cuius voluntate ea scripta sunt. Quod tamen ad liberas personas, in quas nullum ius testator habuerit, extendi non debet. Quae cum ita sint, equidem subscribere haud possum Avg. LEYSERO Spec. 580. med. 8. p.) vbi propter imperium domesticum poenam adulterii in ancilla moderandam censet, in eamque sententiam a Scabinis Vitebergens. ita iudicatum esse refert:

Daß Inquisitin des eingestandenen Ehebruchs halber, weil sie von ihrem Dienstherrn geschieängert worden, mithin durch das imperium domesticum in etwas entschuldiget wird, mit der ordentlichen Strafe zu verschonen, iedoch — rel.

Quis

p.) Cui etiam adstipulatur HOMMELIVS Rhaps. Obj. 475.

Quis enim quaeſo ancillulae necessitatē parendi domino ad stuprum vocanti imposuit? Ego ſane hic nec vim, nec obsequii praefandi neceſſitudinem video, adeoque eiusmodi ancillam haud magis audiendam puto, quam illam, quae impudicitiae ſuae stuprum violentum praetexens et, an clamauerit, interrogata, ſe nunc velle clamare, dicebat. Nae huiusmodi malieres plane ſimiles mihi videntur

LYCYNIAE illi, de qua HORATIVS Carm. II. 12.

Dum flagrantia detorquet ad oculā
Ceruicem, aut facili ſaeuilia negat,
Quae poſcente magis gaudeat eripi,
Interdum rapere occupet.

Haud magis illis adſtipulor, qui ob domesticum herae imperium poenam etiam lenocinii, ab ancilla furtiuos illius amores adiuante commiſſi, mitigandam cefent, vt potius id genus ancillas bis peccare, adeoque ſeuero poena dignas eſſe exiſtimem; primum ſcilicet, quia alienae libidinis ministras agunt et conciliatrices, deinde quia heri, cuius pane vefcuntur et mercede fruuntur, cornua promovent, eumque turpiffime frustrantur. Nae, ſi eiusmodi admittimus exceptiones atque obtentus, maleferiatis hominibus fenestram ad nequitiam aperimus, flagitiaque, cum vindicare debeamus, ſubleuamus. Melius Romani, de quibus SENECA de Ben. VII. 16. Nullam excuſationem receperunt maiores noſtri, ut homines ſcirent, fidem utique praefandam. Satius enim erat, a paucis etiam iuſtam excuſationem non accipi, quam ab omnibus aliquam tentari.

Ceterum hic non repeto, quae de speciebus nonnullis singularibus iam monui in *Elem. iur. crim.* §. 242. 332. et 487.

SED INDICENDA NVNC SVNT SOLEMNIA
IN AVGVRALIA CANDIDATI GENEROSISSIMI
ATQVE DOCTISSIMI

CAROLI HENRICI A ROEMER
LICHENSTEINENSIS,

qui ipse sua de vita, laudabiliter adhuc acta, his verbis exposuit:

Ego, CAROLVS HENRICVS a ROEMER, natus sum Lichtensteinii, anno MDCLX, die X. mensis Aprilis, patre OTTONE HENRICO a ROEMER et matre CHRISTIANA HENRIETTA SYBILLA, e gente nobili REICHBROD a SCHRENKEN-DORF. Pater, varios expertus casus et calamitates, mense Martio MDCCCLXXXIII, diem obiit supremum. Parentes mei cum facultatis ad me educandum necessariis, prauis nonnullorum hominum factis atque iniuriis, priuati essent, Deus O. M. pro sua in me clementia institutionis meae curam viro nullis mihi cognitionis vinculis iuncto demandavit. Ictus enim Colditiensis, tunc senex venerandus, nunc mortuus, Ioannes Godofredus Kaupischius, misericordie erga me meumque patrem commotus, educationis meae molestias gratis suscepit, ac per XI. annos et quod excurrit, et si ei, haud diuiti, septem erant liberi, continuuit. Idem etiam per rectores Scholae Colditiensis, Herrmannum, iam defunctum, et Grahlium, virum eruditum, nec non per filios suos, quibus ego multum debo, meam in litteris institutionem procurauit. Anno aetatis meae XVI. ad Ioannem Carolum Gotthold Kaupischium, Ictum Querfurthensem, haud indoctum, me contuli, ibique duos per annos et dimidium partim litteraram studiis, partim praxi iuridice operam uauavi. Ita ad iuris studium praeparatus a. MDCCCLXXIX. Academiam Lipsiensem adii, ibique in phioso-

lophilia Seydlitzum et Platnerum fecutus sum. Ius priuatum et publicum, nec non ius naturale et legationum me docuit Sammetius, mei amantissimus, cuius fauorem nunquam ex animo dimittam. Praeterea praelectionibus Schotti, Pohlii et Bieneri iuridicis, nec non historicis Wenckii, Hilfcheri et Beckii interfui. Studiis absolutis examini illustris iudicij provincialis supremi Lipsiensis me subiecti, optimoque huius tentaminis testimonio dignus iudicatus sum. Quo facto mihi accessus ad huius iudicij sessiones, ut audiendo profiterem, clementissime concessus est. Postea aliquamdiu Quersfurthi in foro et praxi iuridica, duce praefectoriae administratore, Ioanne Leonhardo Christiano Kaupischio, cuius erga me amicitiam benevolentiamque laudibus satis efferre non possum, exercitatus sum. Deinde a SERENISSIMO SAXONIAE ELECTORE, PATRE PATRIAE CLEMENTISSIMO, officium assessoris supernumerarii iudicij provincialis supremi Lipsiensis summa ex gratia mihi designatum est, quo tamen nondum ineundus sum, cum intereo Illustissimus Comes, Dynasta a Schoenburg-Stein, officium consiliarii mihi demandauisset. Nunc autem ad summos in utroque iure honores eo confilio adspirare ausus sum, vt cum nobilitate iura doctoris coniungerem.

Nunc quidem a Collegio nostro, vt summi in iure honores ipsi tribuantur, petiti. Cuius voti, postquam ad examen, quod vocant, rigorosum admissus Collegii expectationi omni ex parte satisfecit, compos factus, vt publice etiam de eius doctrina atque eruditione constet, proximo die Mercurii in auditorio ICtorum hora a meridiie II. Tit. C. de interdictionis interpretabitur, deinde autem a.d. XI V. huius mensis hora IX eodem loco dissertationem inauguralem de iuribus maiestatis eorumque speciebus sine praeside publice defendet, quo facto Vir Illust. Excellentiss. atque Consultiss. Dom. Avg. Frid. SCHOT-

T V S,

TVS, Tit. de V. S. et R. I. P. P. O. Supremae in Provinia Curiae et Ordinis ICtor. Lips. Affessor, fautor Collegaque honoratissimus, cui ex decreto eiusdem Ordinis promotoris munus delegauit, summos in iure honores cum omnibus priuilegiis ac iuribus huic dignitati adnexis, sola spe ad sessionem in Collegio nostro adspirandi excepta, ipsi tribuet atque concedet.

Quam sollemnitatem ut **RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PRINCIPES CELSISSIMI, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQUE REIPVBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, CIVES** denique **GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQVE** praesentia sua honorifica splendidiorem reddere velint, enixissime rogamus. Sc. Lips. a.d. IX. April. MDCCCLXXXV.



Leipzig, Diss., 1785 R-2

X 241 7854





1785,23.
5

PROCANCELLARIUS
IOSIAS LUDOVICVS ERNESTVS
PUTMANNVS
 I. V. D. INST. PROFESSOR ORDINAR. ET COLLEG. ICTOR. ASSESSOR

R. 492
SOLLEMNIA IN AVGVRALIA
 GENEROSISSIMI CANDIDATI
CAROLI HENRICI A ROEMER
 LICHTENSTEINENSIS

A. D. XIV. APRILIS MDCCCLXXXV
PVBLICE CELEBRANDA
 INDICIT

